

tunt contra distributam iusticiam, quod etiam docuerunt S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. & ibi Cajetanus. *Gurtierrez Canon. Q. lib. 1. cap. 11. n. 55.* Vasquez in *Opus. de benefic. cap. 2. §. 3. n. 117.* & Diana, alios cumulant, *part. 4. tract. 4. resol. 210.* Quæ sedem occupat in opere coordinato *tom. 8. tract. 7. resol. 54.* Igitur si hæc vera sunt, prout verissima à DD. esse censentur, nonne peccata omissionis difficile reperitur in conscientia examine? Utiq; difficile; nam, ut experientia comperimus, plurimi sunt, qui frequenter omissionis peccata committunt, & raro illa consentunt; teste Segnerio in *Christi. Instru. part. 1. Serm. 5. num. 13.* Peccata autem omissionis contra charitatem committuntur à divitibus non scientibus de bonis superfluis elemosinam e-
 14. *genis, ut plene differimus supra Decis. XI.* circa quod omissionis peccatum satis sit notare dictum S. Bernardini Senenf. *de Christi. Relig. Serm. 11. Tit. 1.* scilicet, esse Dei tremenda iudicia; & severissimas punitiones, *Unam* ab initio mundi contra Superbiam Angelorum, quos præcipitavit in tartara; *alteram* contra luxuriam hominum, quos extinxit universalis diluvio; *tertiam*, quam faciet in fine mundi ob peccata omissionis contra charitatem; quando abiciet à se damnatos, dicens, *stirvi, & non dedistis mihi panem, hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operulistis me: infirmus, & non carcerem, & non visitastis me.* *Matth. 25. 42.*

Quo ad Quartum Quæsitum: *An sit valida confessio facta sine præcedenti examine?* Respondetur, distinguendos esse duos Casus. Primus est, quando ex defectu examinis confessio non est integra, & fuit omissionis unum, vel plura peccata; & in hoc casu absque difficultate Confessio non est valida; ac omnino venit repetenda; quia integritas quod ad numerum, ac species, & ad circumstantias illas mutantur, est de essentia confessionis, ut ostendimus infra Decis. XXIII. & definitum est in *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* In Concilio Florentino in *Decret. Eugenii IV.* & in Concilio Tridentino *d. sess. 14. cap. 5.* Eminent. Card. de Lauræa de Pœnitentiâ disp. 12. art. 1. num. 11. & seqq. Et de conscientia integritas neglecto examine conscientia censetur venire ob gravem culpam pœnitentis, & facit Confessionem nullam, ut omnes DD. testantur; & in puncto resolvit idem Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. art. 9. num. 197. Secundus casus est, quando nullum prorsus factum fuit examen conscientia, nihilominus confessio fuit integra, & nullum fuit omissionis peccatum; & in hoc casu; quem à nullo Auctore propositum invenimus, nisi ab ipso Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. art. 9. §. 2. num. 203. respondet Eminentia sua, Confessionem esse invalidam, ac prorsus repetendam. Ratio responsionis est, quia licet talis pœnitens absque præcedenti examine confessus sit omnia peccata commissa, non est confessus peccatum mortale ab eo patrum, accedendo, ad Confessionem non præmissio diligenti examine, quod sub præcepto, & sub pena peccati mortalis est præmittendum ex decreto Concilii Trident. *d. sess. 14. cap. 5.* Nec excusari potest, quod confessus sit cum integritate, quæ est finis Præcepti, à quo ordinata est præcedens discussio conscientia; nam per accidens integraliter fuit confessus, ac quantum ad se ipsum se exposuit periculo committendi Sacriligium, & omittendi accusationem alicujus peccati; qui autem exponit se periculo peccandi, peccat; etiam si per accidens postea impediatur à peccando.

Hæc opinio videtur rigorosa, quia non peccat in legem, qui adimplet substantiam legis, etsi non servet modum à lege prescriptum. Bonacina de *Legib. tom. 2. disp. 1. q. 1. punct. 9. num. 2.* Sed Concilium Tridentinum in *cit. sess. 14. cap. 5.* in substantia præ-

cipit integritatem Confessionis, quæ intervenit in hoc secundo casu, quamvis non servatus sit modus prescriptus ad eam consequendam, scilicet diligens examen conscientia. Prout etiam in omni lege satis est ejus mentem servare. *1. Scire leges. ff. de Legib. Menochius conf. 202. num. 6.* Sed mens Concilii in præcipienda discussione conscientia ante Confessionem fuit, ut hæc esset integra, & nullum omitteretur mortale peccatum. Igitur, qui de omnibus peccatis se accusat, & integrè confitetur, licet Confessionem non examinaverit, validam facit Confessionem. Ulterius cessante ratione legis positivæ, ac ejus sine adæquato in aliquo casu particulari, cessat ipsa lex pro eo casu. Abbas in *cap. Quia in infu-
 17. lis. num. 2. de Regular. Angelus Verb. Lex. num. 4. casu 7.* Sà eod. Verb. n. 1. & Verb. Ludus. num. 1. Tamburinus in *Decalog. lib. 2. cap. 1. §. 7. n. 38.* Diana plures DD. cumulat *part. 1. tract. 10. resol. 28.* Item *part. 5. tract. 14. resol. 46.* Nec non *part. 7. tract. 10. resol. 33.* Quæ omnes repositæ sunt ab Auctore ejus Operis Coordinati *tom. 6. tract. 1. resol. 70. 71.* & 72. Ergo in prædicto casu, cum pœnitens faciat integram Confessionem, & cesset ratio dimidiationis suarum culpæ, ob quam à Tridentino Concilio fuit ordinatum examen conscientia, dicendum videtur, validè recepisse Pœnitentiæ Sacramentum, & esse bene absolutum; nec amplius teneri ad novam Confessionem eorumdem peccatorum.

Nihilominus tanti Auctoris (qualis est Eminent. Card. de Lauræa) non audeo impingere opinionem; sed tantummodò eam declarare, ut procedat; vel quando longum decurrit tempus post ultimam antecedentem illius pœnitentis Confessionem, itat se exposuisset manifesto periculo dimidians hanc novam Confessionem, & committendi Sacriligium, ob non præmissum diligens conscientia examen; hæc enim esset culpa mortalis ponens obicem, & impediens gratiam, ac effectum Sacramenti. Vel quando Confessarius neque expressè, neque tacite novisset, ab ipso pœnitente nullam præmissam conscientia examinationem; & sic subest idem periculum faciendi sacrilegam Confessionem. Quandoquidem, è contra, quando Confessarius scripsisset, non præcessisset examen, vel quia de hoc interrogasset pœnitentem; (ut facere solent prudentes Ministri hujus Sacramenti) vel quia id sibi persuasisset ex qualitate externa pœnitentis, quia esset vel rusticus, vel idiotus, vel manifestus ignorans hujus obligationis; & illum non recusasset audire, animo supplicandi suis interrogationibus, & illum juvandi ad integraliter confitenda peccata, idque peregrisset; in hoc casu dicendum est, validam fore ejusdem pœnitentis Confessionem ex communi Theologorum doctrina, quod possit Confessarius supplere non discussæ conscientia per suas interrogationes; & ex his validum remanere Sacramentum; ut quilibet legere potest in *Reginaldo lib. 4. num. 12.* in Navarro *ad cap. Fratres n. 75. de Pœnit. disp. 5.* in Bonacina *de Pœnit. Sacram. tom. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. n. 7.* ubi plures alios allegat. In Eminent. Cardinali de Lugo *cod. tract. de Pœnit. disp. 16. num. 693.* ubi commendo Confessarios, qui pœnitentes rudes, ac ignaros, coram se accedentes non preparamos, non dimittunt; sed illos adjuvant suis interrogationibus, non absque magno merito apud Deum ob multam patientiam, & charitatem in recipiendis talium rudium personarum Confessionibus, ut sciunt, qui in sedibus Confessionalibus morantur.

Quo ad Quintum, & ultimum quæsitum, *An qui labilem memoriam habet, tenetur scribere sua peccata?* Respondent communiter DD. negativè, ea ratione, quia hæc diligentia est nimis extraordinaria, atque exposita nimis manifesto periculo infamationis propriæ, & nullum præceptum reperitur de scri-

bendis peccatis, sed solum de his rememorandis per diligentem conscientia examinationem. Bonacina *d. tom. 1. de Pœnitenti. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. num. 4.* Cætopalpus *tract. 23. disp. Unica punct. 10. num. 3.* Collegium Salmanticens. *de Sacram. in genere d. tract. 6. cap. 6. num. 6.* & Gobatus in *Tract. Experm. d. tract. 6. num. 515.* & seqq. ubi addit, quod si quis more prætorum Anachoretarum velit in papyro suos defectus conscribere, ut de eis securius possit se accusare, non est reprehendus. Data verò hujusmodi scriptura, dux ex illa instigant observationes. Una est, quod si quis reperiret dictam chartam, & legeret, peccaret mortaliter, etiam si in ea conscripta essent solum peccata venialia, quamvis fuisset etiam lacerata, & fors projecta, & aliqui colligeret, ac combineret fragmenta, eaque combinata legeret. Gobatus *d. tract. 6. num. 517.* Imò si Judex per hanc scripturam deveniret in notitiam alicujus flagitii, vique ejusdem exquiret à Reo Confessionem, & procederet ad pœnitentis Sententiam, teneretur eam rescindere, & totum processum abolere, ea ratione, quia Confessio Sacramentalis, & manifestatio delictorum ejus intuitu facta non probat in Judicio. Mascard. de *Probationib. conclus. 377. n. 1.* & 2. ubi DD. Et alii plurimi, quos cumulat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol. 111. alias 112.* nec non *part. 5. tract. 11. resol. 27.* quas studiosus Lector, habens Dianam Coordinatam, reperiet in *tom. 1. tract. 8. resol. 42.* & 43. Observatio Secunda est, quod hi, qui scribunt peccata sua in charta, possunt genuflexi ante Confessarium, ei illam legendam tradere, dicendo, *confiteor omnia, quæ hic scripta sunt,* & ea lecta absolvi valent, ut ex doctrina Eminentiss. Card. de Lugo de Pœnitenti. *disp. 15. à num. 80.* & seqq. docet idem Gobatus *d. tract. 6. num. 520.* usque ad num. 525.

Cæterum contra talem methodum consistendi ita scribit Emin. Card. de Lauræa *disp. 10. de Pœnitenti. art. 5. num. 67.* Salva pace, contrarium mihi videtur dicendum. 1. Quia si hoc asseratur, facile invenitur maxima fidelium copia, & puellarum præcipue, quæ hac dispensatione vellent uti. 2. Quia cum notum non sit, casus gradus, aut magnitudinis debeat esse verecundia, facillimè quisque sibi eam inesse existimabit, & paucis post annis vocalis Confessio non erit in usu. 3. Per Doctorem præfatum (scilicet Card. de Lugo) num. 86. est grave, & mortale peccatum, morem hunc in Ecclesiam inducere, quia contra consuetudinem committitur: Ergo non facile sunt admittendi casus de permissenda Confessione per scripturam. Magistrus quoque in 4. Sent. *disp. 5. quest. 17. n. 472.* ita scribit: Non omnino approbo, licet sua probabilitate non careat, quod docet Lugo *disp. 15. sect. 5. n. 80.* sufficienter debito suo satisfacere pœnitentem etiam voce pollemem, qui data prius scriptura Sacramenti, quam legat, in qua continentur peccata, post illam lectam subiungit per voces: *de his omnibus me accuso, quia jam ore confiteor, quantum satis est; neque enim necessarium videtur, inquis, quod per voces intra Sacramentum explicet omnino peccatum.* Hoc inquam, omnino approbare non possum, quia nulli dubium est, pœnitentem magis verecundari peccata sua per voces explicando, quam per scriptum, ut enim fert commune adagium, *littera non erubescit.* Cum ergo verecundia sit pœna à Christo intentata in hujus Sacramenti institutione, hæc non est minuenda, si nulla adesset necessitas, ut est in casu proposito. Idem sentit Reginaldus *lib. 6. num. 81.* ubi allegat S. Thomam in *Quodlibet. 1. art. 10.* docentem, debere pœnitentem propriis verbis peccata sua confiteri, nisi sit lingua, ac voce impeditus; cui ego addo textum in *cap. Quem pœnitent. 88. de Pœnit. disp. 1.* in quo dicitur, quod in Confessione peccata non per nuncium, non per scri-

ptum sunt manifestanda; quod notatum etiam est supra Decis. XV. num. 21. ubi prescripta fut hæc methodus confitendi. His bene convenit, quod ex relatione Cæsarii *lib. 5. cap. 29.* refert Magrius in *Hierolexic. Verb. Sufurrium* Aliquod scilicet Demonem ex contemptu vocasse Confessionem Sacramentalem Sufurrium, quia cum ferret per vocem secretam ad aurem Sacerdotis, videret in ejus aures susurrare, undè resultat confirmatio doctrinæ, quod Confessio absque magna necessitate non est facienda scripto, sed voce.

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.


Mutorum diversitas; ac Mutitatis quatuor causæ ex fonte Medicinæ extractæ declarantur. Muti an possint contrahere matrimonium? Profiteri in Religione? ac alia publica officia agere? ex Jurisprudendum dictis ostenditur: nec non ex Historia tum Sacra, tum Profana plurimum Mutorum exempla referuntur. Hi quomodo possint, ac debeant sua peccata confiteri? Deciditur, & refertur casus curiosus, sed periculosus Muti ab Auctore reperti in Visitatione Patavinæ Diocesis.

SUMMARIUM.

- 1 Muti, Afsoni, Brachyismi quinam sint?
- 2 Muti alii à nativitate, alii post loquelam loquela ob infirmitatem.
- 3 Mutorum à nativitate quatuor species.
- 4 Aurium interiorum structura declaratur.
- 5 Auditus Organum in quibus consistat?
- 6 Muti cur alii ingeniosi, alii semisolidi?
- 7 Muti ex infirmitate qui?
- 8 Muti an possint contrahere Matrimonium? Profiteri in Religione? eligere sibi Sepulturam? An esse testes, vel Judices?
- 9 Mutorum exempla in Scriptura Sacra.
- 10 Lingua abscessa Catholici articulatè loquuntur.
- 11 Leoni Pape III. oculi, & lingua miraculose restituta.
- 12 Mutos à nativitate, qui futura prævidebant. Alii summi ingenii, alii ludentes, ad invicem disputantes.
- 13 Muti scientes scribere, possunt sua peccata in schedula Confessario exhibere. Sed an sint obligati ita confiteri?
- 14 Muti à nativitate mutibus, ac gestibus debent confiteri sua peccata.
- 15 Mutorum trium, quorum Confessiones Auctor audivit in Visitatione Diocesis Patavinæ. Unius ex illis acumen mentis, & casus curiosus, sed periculosus.

A tenta igitur Scotistarum doctrina, quod Confessio Sacramentalis ex Christi institutione debeat esse vocalis; & ex Ecclesiastica traditione, ac usu fidelium nunquam interrupto, peccata manifestanda sint Confessario per vocem pœnitentis, non autem per exhibitionem Schedulæ, in qua sunt scripta ipsa peccata, videndum est, quomodo Muti, & hi, qui linguam impeditam habent, debeant confiteri.

Mutos; & lingua impeditos dari per universum orbem experientia docet, & testantur Historiæ; ut videre est apud Solinum *cap. 37.* Plinium *lib. 6. cap. 30.* Isidorum *lib. 11. cap. 3.* à quibus non dissentit S. Augustinus *lib. 16. De Civit. Dei.* Verum non solum reperiri homines mutos, sed etiam Afsonos, id est ore carentes, nec non Brachyhomos, qui parvo sunt ore, referunt Scriptores, quos allegat Schottus



di prædicti teneantur, & obligati sint hoc modo per scripturam confiteri & de suis peccatis se accusare, non sunt concordæ Moralitæ, quos cumulat Diaria parti. 3. tract. 6. resol. 4. quæ collocata est in Operis Coordinati tom. 1. tract. 3. resol. 72. Alii negant, ea ratione, quia mutus se exponeret periculo amittendi scripturam, & publicandi sua peccata; seipsumque infamandi, ideoque non tenetur, cum confessio de sui natura esse debeat secreta; propter quæ causam neque tenetur adhibere interpretem Pœnitens, qui nescit idioma Confessarii. E contra alii affirmant, quia qui obligatur aliqua lege magni momenti, præcipue si sit ordinata ad implendam legem divinam, tenetur adhibere diligentiam, & apponere media non magnæ difficultatis, ut legem servet. Sed talis est lex Ecclesiastica de annua Confessione, ad quam adimplendam tenetur Mutus uti mediis sibi possibilibus, inter quæ scribere sua peccata in papyro ostendenda Confessario: Ergo tenetur hoc medium adhibere. Neque relevat timor manifestandi, seu publicandi sua peccata, quia schedula illa statim scinditur in minutissimas partes, vel comburitur. Hanc opinionem tenent septem gravissimi Theologi apud Dianam in supracitata resolutione, quibus ego adharerendum censeo, hac alia potissimum ratione: quod ubi agitur de periculo animæ, ad illud evitandum, omnis labor, & omne studium est adhibendum. Verum, Mutus habens mortaliam, si nequit alio modo ea manifestare Confessario, nisi scripta in papyro; si recuset ea scribere, non potest salvari, nisi eliciat actum perfectæ contritionis. At nullus negabit, utilius, ac securius esse suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, prævia exhibitione schedulæ, in qua scripta sint peccata; siquidem tunc sufficit at tritico ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad æternam salutem consequendam, virtute Sacramenti.

Quod si muti tales sint, ac simul surdi à natiuitate, & nesciant scribere tenentur sua peccata confiteri nutibus, ac gestibus, exhibendo adus doloris, & propositum de emendandi, ut optimis rationibus demonstrat Maffrius in 4. Sent. disp. 5. num. 141. & 142. ac Summa Diana Verb. Confessionis modus, num. 19. Circa quos Mutos duo sunt observanda ex doctrina Gobati in Theol. Experim. tract. 7. num. 476. & 477. Unum, quod si adit Confessarius probe intelligens nutus Muti, coram illo debet Mutus se accusare, non autem coram alio, vel pœnitens dictos nutus non percipiente, vel totum imperfectè. Alterum, quod Confessarius non callens nutus, ac gestus Muti, debet prudenter se instruere ab eius domesticis de sensu, ac significatione eorumdem nutuum, ac gestuum; ut possit comprehendere species, ac numerum peccatorum ejusdem Muti pœnitentis, quantum sibi esse possibile, ut valide eum absolvat. Nam ex Doctrina Bonacini, Reginaldi, Laymâni, Palai, & Lopezii, quos citat, ac sequitur Gobatus d. tract. 7. n. 482. & 483. potest Confessarius absolvere Mutum, sicut quemcumque alium pœnitentem ignota sibi lingue, si unum, aut duo peccata sic exprimat, ut à Confessario intelligantur, velisque omnia confiteri.

Quadragesima ab hinc circiter annis cum ego percurrerem hanc Diœcesim cum sanctæ memoriæ Eminentiſſimo, ac Reverendiss. Domino meo GREGORIO CARDINALI BARBADICO Episcopo Patavino illam visitante, tamquam ejus Auditor Generalis, occasione habui excipiendi Sacramentalem Confessionem trium Mutorum diversæ inter se capacitatis; unus enim erat propè fatuus, tamquam hi, qui habent oblesos nervos acusticos propè cerebrum; alter habebat mediocrem ingenium, quasi oblesis nervis propè tympanum; tertius verò pollebat perspicacissimo intellectu; quem crediderim esse mutum, ac surdum à natiuitate, non ob læsionem ner-

vorum, sed ob obstaculum tunice propè tympanum, ut explicatum est supra in primo præmissio. Me Patrochus edocuit significatum nutuum, ac gestuum eorumdem Mutorum, qui tunc de iracundia, atque vindicta se accusabant, quando manum in modum minarum concutebant, de gula, ad os digitos projiciendo; de ebrietate pollicem elevatum, quasi cyathum in idem os infundendo; de acidia super volamans, caput inclinando; & sic de aliis.

Cariolus autem, etsi periculosus simul fuit casus, qui prædicto Muto acutissimi intellectus acciderat non multo ante dictam Visitationem. Calceolarius, ac Cerdo erat ipse excellens, ac pro nobilibus tantum viris calceos fuebant, industriae sua non paucos argenteos, cumulaverat, quos in arca sub clave custodiebat. Quadam die reliquæ inard verterent clavem in arca, ex qua statim ipsius foras argenteum unum surripuit. Paulo post Mutus, reperia Clavi in arca, eam aperuit, & numeravit argenteos; furtumque jam factum agnovit. Sororem apprehendit, eam rigide baculo verberaturus, nisi nummum restitueret. Cœpit latroncula negare furtum, & quia pridem in ea domo aliquantulum moratus fuerat quidam restaurator Lebetum, vulgò Un Conza Lavozzi, innuebat eum furem. Intellexit Mutus, & credidit fuisse reum furti, quem foras indigebat, videntque illum per fenestram à longe, arrepto solo, & ense furiosus currebat, ut innocentem lebetarium, non multo inde distantem, assequeretur, ac occideret. Plures erant homines in via, qui Muto obstitunt rogantes, quid haberet? & cognita ejus furoris causa, suam de innocentia illius lebetarii, festinatò vocatam ad se forem obtrinxerunt, ut argenteum redderet, prout fecit, veniam de furto, de mendacio, ac de calumnia coram Muto genuflexa supplex petendo. Delectabat eundem Mutum avium venatio, quæ summo manè in illa Villa fiebat; sociosisque rogabat, ut eum è lecto vocarent diluculo. Sed quia eos pulsantes ostium non audiebat, funiculum sibi ad brachium alligabat, illumque ab alia extremitate è fenestra pendere sinebat, quem Venatores trahentes, Mutum à somno excitabant, qui surgens velociter, ibat ad capiendas aves sclopi explosione, in qua mirabiliter excellens. Magnam articulorum fidei cognitionem nutibus exprimebat, & quo ad ingeni, ac intellectus acumen non erat inferior mutis illis, quos P. Kircherius Florentiæ fuerat admiratus.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Integritas, quæ est secunda Confessionis Sacramentalis conditio, in præsentis Decisione declaratur; quæ tria requirit, Numerum, Circumstantias, & effectus peccatorum. Ratione, Juribus, & Exemplis Animarum damnatarum probatur necessitas hujus integritatis. Hæc tamen ex Divina institutione dispensatur in sex casibus Physicæ, vel Moralis impotentia hic relatis, & expositis, in quibus clarè, ac doctè ostenditur, quomodo, & quando liceat tacere aliquid peccatum in Confessione? Et quid agendum cum habente non reservata, ac reservata simul, ea volente confiteri?

SUMMARIUM.

- 1 Integritas quid significet? & quid denotet in Confessione?
- 2 Circumstantiæ non mutantur speciem explicando in sex casibus.
- 3 Integritas Confessionis alia Materialis, alia Formalis?

- 4 Integritatis Confessionis necessitas probata Ratione, Juribus, Exemplis.
- 5 Anima damnata ab dimidiata Confessione.
- 6 Trium Demonomina, Claudens corda, Claudens crumenciam, Claudens ora.
- 7 Integritatis omisso in Confessione in casibus necessitatis est ex Divina permissione.
- 8 Integritas cessat ob oblivionem inculpabilem peccati.
- 9 Infirmus impotens manifestare sua peccata; absolvens.
- 10 Mortis periculum excusat ab integritate Confessionis.
- 11 Motu gravæ detrimenti in vita, fama, vel anima, permittitur dimidiatio Confessionis. Sed non semper ut hic.
- 12 Atrox an sufficiat in Confessione dimidiata pro peccato non manifestato?
- 13 Peccatum occultum est justa causa in Confessione, quamprimum est alii Sacerdoti manifestandum.
- 14 Complex an manifestandus in Confessione?
- 15 Reservatum ob peccatum an liceat dimidiare Confessionem?
- 16 Reservata audient, ut absolvat, debet etiam non reservata audire.
- 17 Inferior quomodo, & quando absolutus habentem reservata?
- 18 Absolutio à reservatis prohibita per Concil. Trid. & per Decretum Cleon. VIII. Ejusdem Decreti interpretatio.
- 19 Periculum damni quantum esse debeat pro dimidiata Confessione?
- 20 Dimidiare Confessionem ob magnum concursum pœnitentium est opinio damnata?

Confessionem Sacramentalem, ut valida sit, quatuor conditiones requirere diximus in superiori Decif. XV. n. 32. videlicet, ut sit Diligens, Integra, Fidelis, & Obediens. Diligentiam consistere in discussione, ac examine conscientia; ostendimus in Decif. XXI. ejus occasione examinavimus celebrem questionem; An ad prædictam diligentiam servandam spectet obligatio scribendi propria peccata? nec non aliud dubium utrum liceat pœnitenti non exprimere voce sua peccata, sed illam jam scripta in papyro exhibere legenda Confessario? saltem aliqua legitima causa subsistente; præcipue ob loquelæ impedimentum? Indè motivum sumptum in Decif. XXII. agendi de Confessione Mutorum. Completa itaque expositione primæ conditionis ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ necessaria in Pœnitente, quæ est Diligentia in examinanda conscientia; agendum modò venit de secunda conditione, nempe de Integritate Confessionis Sacramentalis, pro cujus clara intelligentia quatuor sunt videnda.

Primo: Quid sit integritas Confessionis, & in quibus consistat?
 Secundo: Quotplex?
 Tertiò: Unde proveniat necessitas hujus integritatis?
 Quarto: In quibus casibus valida sit Confessio sine integritate?

Quo ad Primum, Hoc nomen Integritas de sui natura importat totam rem, cui tale nomen imponitur, ut si dicatur integrus homo, integra vestis, inficiat homini, vesti, ædificio; similiter quando vocamus integrum aliquem actum vitalem five internum, five externum, significamus totalitatem, & integritatem objecti, circa quod tendit actus ille; exempli gratia, obligatio dicendi integrum Officium, integrum Rosarium, denotat integram, ac totalem recitationem ejusdem Officii, vel Rosarii, ita ut nulla pars ejusdem omittatur; aliàs diceretur Officium de Sacramento Pœnitentiæ.

clum, vel Rosarium dimidiatum. Igitur idem asserendum venit de integritate Confessionis, quæ ut talis sit, requirit totalitatem in accusandis peccatis ideòque Confessio integra est manifestatio omnium peccatorum cum suis necessariis circumstantiis. Et effectibus, quæ aliquis habet in conscientia, nisi, & eidem Sacerdoti facta. Ita Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa in tract. de Pœnitentiâ disp. 12. num. 1. Dicitur Manifestatio omnium peccatorum; quia primum requisitum integritatis in Confessione est, ut pœnitens exprimat numerum peccatorum, idest quot vices unum, vel plura peccata commiserit, in hoc enim numero præcipue consistit integritas; ut infra demonstrabimus. Dicitur Cum suis Circumstantiis; Nam præter numerum etiam circumstantias peccatorum oportet manifestare, non solum mutantes speciem peccati, quæ nunquam taceri, vel occultari possunt; sed aliquando etiam aggravantes à parte objecti, ut notat Garzias de Benefic. part. 3. a cap. 1. num. 143. & 144. de quibus Moralitæ dant sex exempla sequentia. I. Ut sit exprimens gradum in inceptu, quia quò proximior est gradus; eo gravior est circumstantia peccati. II. In quantitate furti, ac injuriæ. III. Quando uno actu plures sunt occisi, vel infamati. IV. Si odium fuit diurnum. V. Si peccatum fuit cum filia spiritali. VI. Si circumstantia aggravans causet censuram, vel reservationem peccati, aut requirat directionem, five consilium Confessarii. Bulemanni lib. 6. tract. 4. art. 1. num. 3. Sed de his plene tractabo in Decif. XXXI. Dicitur, Et effectibus, scilicet pœnitentibus ab ipso peccato, qui sæpe sapienter sunt de necessitate exponendi, ut Confessarius possit justè judicare, & debitam pœnitentiam, ac restitutionem, compensationemve damnorum injungere, puta si ob homicidium commissum filia intersecta prostituta sint, vel alius innocens vexatus sit à Judice. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 107. ac 120. de quibus pariter infra singillatim erit agendum Decif. XXXII. Dicitur; Quæ, (scilicet peccata) aliquis habet in conscientia, post factam ejusdem conscientia; discussionem, & examen; nam si ex inculpabili oblivione non recorderetur aliquis peccati, non remanet in conscientia, & absolvitur una cum aliis; ut pariter infra demonstrabitur. Tandem dicitur Uni, & eidem Sacerdoti facta, quia non licet confiteri peccata pro medietate unius Confessario, & pro alia medietate alteri. cap. 1. §. Causus sit. & ibi Glossa Verb. Confessionem, de Pœnitentiâ disp. 5. Itaque integritas Confessionis consistit in tribus istis, manifestare omnia peccata quo ad numerum; quo ad eorum circumstantias, saltem mutantes speciem; & quo ad malos effectus, qui provenerunt ex illis.

Quo ad Secundum, Confessionis integritas duplex est, alia Materialis, alia Formalis. Illa est materialis, quæ explicat omnia confitenda sive, ut peccata, sive ut circumstantias, & quoad numerum, & quoad species, & quoad effectus, ideòque qui confitetur integrè Sacerdoti omnia peccata specifica, & numerica, omnesque circumstantias cadentes sub præcepto, materiale, seu physicam, ac actualem integritatem servat. Formalis verò integritas est; quæ complectitur omnia peccata, de quibus pœnitens post diligentem discussionem conscientia; recordatur; est alia adit, quæ non sint in memoria, vel si adit aliquid aliud peccatum, cujus recordationem habet, non tenetur tunc illud manifestare ex aliqua licita causa, & potest sub silentio tenere; manifestandum postea alteri Confessario, ut infra in quarto Quæsito explicabimus. Ita ex Moralitæ Reginaldus in Praxi lib. 6. num. 150. Gobatus tract. 6. num. 335. & ex Scholasticis Suarez de Pœnitentiâ disp. 23. sect. 3. & Eminentiſſ. Card. de Lauræa eod. tract. disp. 12. n. 4.

Quoad Tertium, Necessitas integritatis Confessionis Sacramentalis probatur Ratione, Juribus, & Exempla. Ratio concernit tum Sacerdotem, tum Pœnitentem; siquidem Sacerdos non potest æquum iudicium facere, ac sententiam iustam proferre, nisi cognoscatur omnia peccata pœnitentis, eorumque circumstantias mutantes speciem, ac effectus inde secutos; eò minus quia gerit. Officium Medici spiritualis pro sanandis vulneribus inflicis in anima peccata; vulnus autem, quod ignoratur, & non ostenditur Medico, non curatur. Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 11. Pœnitens quoque factus fuit inimicus Dei per quodcumque ex peccatis mortalibus per eum commissis. Ergo, sicut tenetur detestari singula peccata, ita debet omnia, & singula confiteri, ut Dei gratiam recuperet; est enim instituta à Christo Sacramentalis Confessio cum hac implicita conditione, ut cessante impedimento physico, vel morali, omnia, ac singula peccata manifestentur cum prædictis suis circumstantiis. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. à num. 23. & seqq. Hinc est, quòd in lege veteri volebat Deus totum holocaustum sibi incendi, nec inde quidquam ad humanas mensas reservari. Levit. 1. 9. neque Animal claudum volebat sibi immolari, ut ex huiusmodi victimæ reiectione diceretur, non esse claudicandum in manifestandis peccatis in Confessione, quæ est Sacrificium propitiatorium, iuxta illud: Sacrificium Deus spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum (scilicet in accusatione commitalium iniquitatum) Deus non despicies. Psalm. 50. Vers. 19. Unde etiam hortatur dicens: Conventimini ad me in toto corde vestro. Joel. 2. 12. Et cum dicat totum, excludit dimidiationem, & includit integritatem. Et per Ezechielem cap. 18. Vers. 21. Subdit: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, non recordabor. Itaque Pœnitentia id est Confessio debet esse de omnibus peccatis, non autem de una parte, vel dimidio, ut bene dicit Mendezius in Luce Fidei, lib. 12. cap. 12. n. 5. Dictio enim omnis universalis est, nihil excludens; I. Julianus & I. Testatorum. in princ. ff. deleg. 3. Barboisa de Dilationibus Ufu frequen. Verb. Omnis. Dist. 247. num. 1.

Jura præcipientia integritatem habent expressa, tum in cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss. ubi ita præcipitur: Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur; tum in Sacro Concilio Tridentino, in quo sess. 15. de Sacram. Pœnitent. cap. 5. ita dicitur: Perium cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines ira filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta, & reverenda Confessione, à Deo querere. Eode eodem Sacramento Can. 7. ita decernitur: Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse, jure divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quarum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, Anathema sit. Quo quidem anathemate feriuntur Lutherani, & Wicleffitæ; asserentes, non esse necessarium confiteri omnia peccata, sed tantummodo illa, quæ sunt manifesta; ut advertit enim Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 5.

Exempla apud Ecclesiasticos Scriptores plura leguntur, quibus apparer, eos qui Confessionem vel ex malitia, vel ex pudore dimidiatam, & non integram fecerunt, æterno igni fuisse damnatos. P. Christophorus Vega in Libello de Casibus Confessionis. part. 1. cap. 5. refert Historiam damnatæ puellæ Anno 1590. ob

obtinatam ejus taciturnitatem enormis culpæ, quam nunquam in Confessione Sacramentali manifestare voluit Confessario; quam quidem Historiam describit etiam Martinus Deltius Magic. Discursus. lib. 2. quæst. 26. sct. 5. pag. 202. quia nullam memoriam dignorem legisse testatur. Idem Vega dicit. part. 1. à cap. 6. usque ad cap. 15. alia exempla adducit de peccatis animarum ob violatam Sacramentalis Exomologesit integritatem. Consilia habentur apud Dauroultium in Catechismo Historiali, part. 3. cap. 5. tit. 38. Exempla. 9. ac seqq. nec non apud Matthæolum in Syria Histor. part. 2. lib. 7. cap. 1. tit. 19. ubi Exempl. V. narrat, ab Eremita quodam interrogatos tres Dæmones de eorum nomine, respondisse, quòd unus vocabatur Claudens corda, alter Claudens crumenas, tertius Claudens ora; eò quia primus peccata, nec peccatos audientes concionem, compungerentur; secundus, ne habentes rem alienam, eam restitueret, ac tertius, ne confiterens peccata, ea integrè Confessario manifestarent; sic enim singuli ubique magnam ruinam causabant animarum. Paulus Senevierus in Constitutio Instructio, part. 3. sct. 12. num. 9. ex S. Antonio, allegat non dissimile exemplum Viduæ cujusdam, in carnis peccatum lapsa; quæ pudori parceret, nunquam illud in Confessione voluit detegere, & quavis vitam religiosam esse complexa, multaque penitentialiter exerceret, restitit plurimis inspirationibus interis de continenda illa culpa, cum quoasq; & damnata fuit in infernum. Hunc deplorabilem finem fecitalius Monachus, truncatam Confessionem agens, de quo Hieronymus à Basilica Petri in Ephemerid. Sacris Kalend. Aprilis in Vita S. Hugonis Abbas; & passim alibi apud alios Auctores.

Quo ad Quartum. Ex Divina institutione permiffum est in aliquibus casibus posse fieri Confessionem Sacramentalem absque integritate, quamvis enim de hac permissione non habeamus textum expresse in Scriptura Sacra; implicite tamen tenetur inesse, cum ipse Salvator dixerit: Jugum iugum suum facite, & onus leve. Matth. 11. 30. & tale non esset, si fidelis tenentur integre confiteri concurrente impossibilitate vel physica, vel morali in sequentibus casibus; in quibus cum habeamus assensum Ecclesiæ ex usu inveterato ejusdem, iuxta testimonium omnium Doctorum, sequitur dicendum, in iidem casibus dispensatum esse circa integritatem ex Divina institutione; quia nullus potest variare materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ, in qua includitur oris confessio, ut doctè observat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 143. & antea docuerat Canus in Rolati de Pœnitent. part. 6. quem allegat, & laudat Reginaldus in Praxis d. lib. 6. sub num. 151. Igitur

Primus Casus est, quando facta diligenti discussione conscientie per inculpabilem oblivionem omniffum est aliquod peccatum; tunc enim valida est confessio, & peccatum illud remaneat deletum, ac remiffum una cum aliis confessis; ut ait Concilium Trident. in d. sess. 14. cap. 5. in illis verbis: Reliqua peccata, quæ a ligentur cogitant non occurrunt, in universum eadem Confessione iuncto esse intelliguntur; cum obligatione tamen confitendi illud quod primùm redierit in memoriam, Reginaldus d. lib. 6. num. 152. & Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 170.

Secundus Casus est ob physicam impotentiam, quando infirmus cepit suam Confessionem, & oppressus syncope, letargo, vel alio accidenti, aut symptomate, amittit usam loquelæ, nec potest integrè sua peccata manifestare; tunc enim est absolvendus, & confessio censetur valida; prout etiam si antequam Sacerdos accederet ad infirmum illum perentem, interret facultas loquendi; ut ex Concilio Carthaginen. 4. cap. 76. demonstrat

idem Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. n. 147. & docent Reginaldus d. lib. 6. num. 154. Tamburinus de Exped. Conf. lib. 2. cap. 10. §. 1. ac Gobat in Theolog. Experim. tract. 6. num. 435. & 436. ubi ex Tannero, & Grassio id admittit, non solum ubi infirmus nullo prorsus modo potest loqui, sed etiam quando non nisi summa cum difficultate, aut cruciatu valet cætera peccata aperire; imò si redeat ad se, & vix uno, alteroque peccato expresso rursus obruitur symptomate, iterum est absolvendus; & hoc toties quoties; quod ego præcavi primo me Sacerdotii Anno, nocte diem Cinerum præcedente, in qua cum accidisset ad excipiendam exomologesim quorundam viri, à larvata persona stylo ferreo in pectore plurquam triginta ictibus vulnerati, qui per plures annos peccata sua confessus non fuerat; cum vix manifestasset ea contra unum ex Decalogi præceptis, in deliquim ibat, & animam agebat; idèque ei absolutionem impendebam Sacramentalem; idque pluries feci illa nocte mihi semper memorabili; cum magnum mentis, & corporis laborem; quem tamen tamquam juvenis flocci faciebam, sciens, esse illud opus juvenis charitatis.

Tertius Casus est impotentia moralis, quæ talis esse dicitur, si imminet periculum mortis vel pœniticorum; vel ipsius Confessarii, aut incuria iniquorum; vel ipsius Confessarii, si majorem moram faciat in audienda confessione, puta tempore peccati; tunc enim auditio uno tantum peccato, vel generali accusatione, potest Confessarius eos absolvere; ita tamen, ut si è periculo evaserint, teneantur retenta peccata manifestare. Reginaldus d. lib. 5. num. 155. Tamburin. eod. lib. 2. cap. 10. §. 1. n. 24. & Gobatus d. tract. 6. num. 457. & 463.

Quartus Casus est, quando pœnitens probabiliter timet grave damnus sui corporis, famæ, aut animæ, si cum illo Confessario se aculet de aliquo peccato; cujus intuitu creditur eundem Confessarium non esse servaturum sigillum Confessionis; vel remanfurum cum mala opinione ejusdem pœnitentis, si vel mulier sit, quæ patitur tentationes carnales, timeat ex earum manifestatione cum tali Confessario, posse ab eo sollicitari, & prostitui. Ita ex Navarro in Manual. cap. 7. Reginaldus d. lib. 6. num. 154. & Gobatus d. tract. 6. num. 460. & seqq. Emin. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 16. sct. 13. num. 534. & Gobatus d. tract. 6. num. 460. & seqq. Porro in huiusmodi timore Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. n. 163. & 165. docet, ita esse distinguendum: vel Pœnitens est in articulo mortis, vel extra. Si extra periculum mortis, vel urgetur alio Sacerdote, potest tacere peccatum, neque illud manifestare tenetur Confessario, à quo probabiliter timet aliquod ex suprædictis detrimentis. At si ex sola devotione veli confiteri, tenetur totaliter absolvere à Confessione, cum non possit integritatem ejus servare, donec inveniatur alium Sacerdotem, cui abique metu omnia sua peccata manifestet, nisi tamen esset periculum scandali, omitiendo Confessionem, ut si esset solius communionem facere in tali die, & requireret præambulum Confessionem; vel pœnitens esset Sacerdos celebraturus, & causaret scandalum non celebrando; in hac enim hypothesi potest dimidiari confessio. Quòd si pœnitens sit in periculo mortis, & rationaliter timeat infamiam sui ipsius, vel revelationem Confessionis, potest tacere illud peccatum; sed magna est dubitatio an teneatur de illo elicere actum contritionis, vel sufficere attritio. Nam sufficere attritionem scribit Eminentiss. Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sct. 13. num. 533. cui opinioni non posse acquiescere suum intelledum ingenue fateatur Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 167. idèque ei contradicte, demonstrans, necessarium esse actum

contritionis in infirmo pro illo peccato, quod tace metu gravis damni; ubi enim non est Sacramentalis Confessio, ibi non sufficit attritio; sed illud peccatum omniffum non intrat in Confessione aliorum; Ergo pro eo necessaria est Contritio. Subindè in prædicto casu idem Emin. Card. de Lauræa duas illationes facit notat dignas. Una est, quòd si ipse infirmus in articulo mortis posset habere simplicem Sacerdotem, teneretur ei confiteri illud peccatum, quia in eo articulo omnis Sacerdos potest absolvere; verùm debet vocare eundem simplicem Sacerdotem tali, & tanta prudentia, ut nemini scandalum daret; quòd facile ageret, dicendo se velle consulere aliquod secretum cum ipso. Altera illatio est, quòd si prædictus infirmus tacuisset peccatum ob metum gravis damni, & evaderet periculum mortis, adeptus sanitatem, teneretur, quamprimùm posset, confiteri illud peccatum occultum, ac relictum alii Confessario; idemque esse obligatum facere, si ex dicto metu dimidiaret Confessionem in casu obligationis annuæ Confessionis, si ve in casu necessitatis sumendi Eucharistiam in certa die ob scandalum; si ve ob alium finem, propter quem liceat facere Confessionem non integram, & subdit num. 170. rationes his verbis: Ratio est, quia integritas est de jure divino, excipiens casum necessitatis: prima ergo confessio carnis hac qualitate; cum ergo remaneat obligatio confitendi illud, non tantum quia omne peccatum est aperendum, sed etiam quia supplendum est, quòd Confessarii deficiat, & illa partialis confessio integritatem unam totalem cum prima.

Quintus Casus est, quando pœnitens non potest manifestare suum peccatum, nisi etiam manifestet complicem illius peccati notum illi Confessario, à quo ipse complex grave detrimentum sit reportaturus, vel in fama, vel in corpore, vel in bonis; puta si sponsa carnaliter peccasset cum sponso, vel uxor contra naturam cum marito; & uterque esset cognitus confessorio; Jus enim naturale jubet consulere famæ, ac vite alterius, sicut propria. Ita Sotus in 4. disticti. 18. quæst. 2. art. 5. ad 4. Reginaldus d. lib. 6. num. 156. Suarez de Pœnitent. disp. 34. sct. 2. numer. 1. Gobatus d. tract. 6. num. 468. & seqq. cap. 7. num. 242. & seqq. Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 16. sct. 7. num. 392. art. 5. à num. 93. & seqq. Qui quidem eximii Doctores, ac passim omnes Moralistæ in hoc casu distinguunt tali pacto. Si grave detrimentum probabiliter timetur complici ex ejus manifestatione; & pœnitens non potest confiteri peccatum suum, nisi indicet complicem; teneatur tacere, ac dimidiare Confessionem, quam de præcepto, vel ex necessitate ad evitandum scandalum debet facere; nisi possit reperire alium confessorium, qui complicem non cognoscat. At si leve detrimentum futurum sit complici, ex ejus manifestatione, puta quando Confessarius est pudens; tunc illa sola diminutio famæ complicis apud Confessarium non est sufficiens causa dimidiandæ Confessionis; & potest complex manifestari, si ita necesse sit, ad integritatem Confessionis. Tamburin. d. lib. 2. cap. 9. §. 2. & cap. 10. §. 1. num. 29. Porro observabile est monitum P. Laymani lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 13. ad Confessarios, ut prohibeant pœnitentibus nominare complicem, ubi sine tali nominatione possint integre confiteri; quòd potiffimum occurrit in mulierculis, quæ absque ulla necessitate, nisi corrigantur, nominant personam, cum qua carnalia crimina commiserunt. Ex hoc inferitur, eò minus licere Confessario obligare pœnitentem, ut sibi extra Confessionem revelet complicem; ut cum eo, correctionem fraternam faciat; nam hoc modo reddit Confessionem odiosam;

ut probat Gobatus d. tract. 7. à num. 248. & seqq. ubi hujusmodi casum examinat.

Sextus Casus (& quidem difficilis apud antiquos Theologos, ob eorum varias opiniones) est, quando quis confitetur, & habet peccata non reservata, ac simul peccata reservata; dicebant enim DD. vetusti, quòd si confessio fiebat coram Superiore, poterat hic audire tantum reservata, & absolvere pœnitentem ab eis, remittendo illum ad Confessarium inferiorem pro Confessione, & absolutione à non reservatis. E contra si pœnitens accedebat primùm ad Confessarium inferiorem non habentem facultatem absolvendi à reservatis, poterat audire non reservata, & absolvere, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reservatis. Ita Navarrus de Pœnit. disp. 5. cap. Consider. S. Cautus. num. 12. & 13. Sotus dist. 18. q. 2. art. 5. Cajetanus Verb. Confessio condit. 10. Sà Verb. Absolutio num. 24. Valentianus tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1. S. Antonius 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 6. & alii allegati à Bonacina tom. 1. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. num. 1. & n. 5. & sic in utroque casu concedebant, fieri posse Confessionem validam absque integritate; quamvis postea iidem Auctores, & alii coetanei discordarent circa modum, quia illi dicebant, quòd inferior tenebatur audire etiam reservata, et si ab eis non posset absolvere; prout etiam quòd Superior antequam absolveret à reservatis, debebat sentire pœnitentem super non reservatis; alii hæc negabant, & alii alia, ut refert Eminens. Card. de Lauræa d. disp. 12. art. 8. num. 173.

Hodie casus iste facilis factus est, & resolvitur, rejectis antiquorum opinionibus, sub hac distinctione. Extra grave periculum vitæ, famæ, vel scandalum, nullus inferior potest absolvere à non reservatis, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reservatis; nec ullus Superior potest absolvere à reservatis, nisi audiat, & absolvat etiam à non reservatis, & sic neutro modo licita est dimidiatio Confessionis; & in utroque integritas Confessionis est servanda. Bonacina d. §. 3. num. 1. & num. 5. ubi plurimos DD. neotericos ita sentientes cumulat. Tamburinus De expedita Confess. lib. 2. cap. 10. §. 1. num. 26. & 27. ubi ita loquitur. In hisce eventibus, vel Superior audiat omnia, & absolvat; vel audiens reservata extra Confessionem tollat reservationem, seu mittat ad inferiorem, cui conferat facultatem absolvendi à reservatis. Si vero sit inferior, ne absolvat, sed mittat pœnitentem ad Superiorem, vel ipse adeat; imperatque potestatem, & tum demum rite absolvat, idem docet, & confirmat Emin. Card. de Lauræa de Sacram. Pœnit. disp. 10. art. 12. n. 381. & seqq. ubi n. 391. addit quòd Romæ cum aditur Superior ob absolutionem à reservatis, vel omnia peccata pœnitentis audit, & absolvit, vel delegat facultatem. Et ita ego semper servavi in hoc Episcopatu Patavino, per annos triginta, & ultra, in quo sanctæ memoriæ Eminentissimi, ac Reverendissimi D.D. Cardinalis Barbadii Episcopi fungebar Auditoris, ac deinde Vicarii Generalis munere, cum facultate approbandi Confessarios omnes, iisque concedendi licentiam absolvendi à reservatis; vel ipsos pœnitentes cum reservatis ad me accedentes liberandi.

Porro ubi grave periculum emergat vitæ, famæ, vel scandalum ipsius Pœnitentis, qui non possit tunc accedere ad Superiorem pro reservatis potest inferior eum à non reservatis, absolvere, & ad Communionem admittere; remittendo eum, quamprimùm poterit, ad Superiorem pro reservatis. Ita Suarez de Pœnit. disp. 31. sect. 2. Reginaldus lib. 8. num. 85. Bonacina d. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 3. num. 5. Versi Dixi in propositione, præcisâ necessitate. Gobatus tract. 7. num. 378. & seqq. novissimè Emin. Card. de Lauræa d. disp. 19. num. 397. Qui omnes in tali casu extendunt inferioris facultatem, quam

vis habens reservata peccata irretitus esset etiam ex communicatione reservata Superiori per text. in cap. Ea noscitur. De Sent. Excomm. & hoc expressè probat idem Emin. Card. de Lauræa ead. disp. 19. n. 419.

Cæterum his dictis obstat videtur Concilium Trident. sess. 14. de Conjug. reservatione cap. 7. ubi ait: quòd extra mortis articulum Sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis. Ulterius refertur Decretum Sacre Congregationis diei 9. Januarii 1601. jussu Clementis VIII. promulgatum, quòd legitur apud Laurentium de Franchis De controversiis inter Episcopos. ac Regul. part. 1. num. 1458. in quo adèd præcisè ablatum est omnibus inferioribus facultas absolvendi à reservatis, ut nullo casu etiam necessitatis, vel impediti, nisi in mortis articulo, ea uti valeant.

Respondent DD. non violari Decretum Concilii, vel Clementis VIII. in casu gravis periculi supraconsiderati, quia in eo inferior non absolvit directè à reservatis, vel à censura; itaut pœnitens non teneatur amplius se præsentare Superiori pro absolutione; sed indirectè tantum, cum obligatione se præsentandi Superiori, sicut quando absolutus remanet à reservatis oblitus qui confessus est non reservata. Concilium enim, & Decretum Clementinum loquuntur de absolutione directâ, & absoluta asserente obligationem comparandi coram Superiore. Ita Bonacina d. §. 3. sub num. 6. Versi. Respondo, & Pasqualigus in Addit. ad d. Laurent. de Franchis d. part. 1. num. 1468. in fine. At Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 19. art. 12. à num. 402. & seqq. respondet, quòd periculum vitæ, aut famæ, aut scandalum pœnitentis non concedit inferiori Confessario potestatem eum absolvendi à reservatis, sed tantummodò, ut licite, & validè possit eum absolvere à non reservatis; & quòd legitima sit absolutio quamvis dimidiata; prout legitima est Confessio dimidiata, & sine integritate ob idem periculum, ut demonstratum est supra in casu quarto. Ideò remanet obligatus pœnitens, quamprimùm possit, accedere ad Superiorem pro absolutione à reservatis, & interim à Deo delentur peccata reservata, non per absolutionem, quam dat inferior ipsi pœnitenti, sed per actum contritionis, quem ipse pœnitens facit in actu Confessionis coram inferiore, dum se accusat de non reservatis, ac de reservatis; ad quem actum eliciendum Confessarius debet pœnitentem excitare, ac plene infundatur gratia, et si dimidiatur absolutio. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Pœnit. disp. 12. num. 184. quòd quidem in praxi est valde observandum. Petenti autem quantum debeat esse periculum vitæ, famæ, vel scandalum, ut pœnitens habens reservata, vel censuras, possit ab inferiori absolvi à non reservatis? Respondet prædicta Eminentia in disp. 19. num. 401. quòd debet esse tale, quale requiritur ad dispensandum in integritate Confessionis, ut pœnitens possit tacere aliquòd mortale; videlicet non quid leve, sed notabilis præjudicii, & gravis damni; et si hæc gravitas non sit strictè accipienda sed cum honesta latitudine, quia agitur de favore animarum. Pasqualigus d. part. 1. num. 1454. in fin.

Septimus Casus erat, posse dimidiari Confessionem, & non servari integritatem ejus in dieallicuius magnæ solemnitatis, ac indulgentiæ; in quo sic multa messis pœnitentium, operarii autem pauci; itaut si audiantur integræ Confessiones omnium pœnitentium impossibile sit, omnes concurrentes confiteri, & idèd ne multi discedant desolati, & absque Confessione, ac Communionem, licere, & auditis duobus, vel tribus peccatis, eos absolvere, & sic dimidiare Confessionem. Ita Marchantius in Tribun. tom. 1. tract. 2. tit. 7. q. 2. & Gobat. d. tract. 6. n. 479. Dixi, quòd hic casus erat; siquidem hodie non est; cum talis opinio sit damnata ab Innocentio

Papa

Papa XI. die 2. Martii 1679. Proposit. 59. & jure quidem, nam divinum præceptum de integritate in Confessione servanda præponderare debet devotioni privatæ consuetudine, non habentis obligationem præcisam ea die constandi, ac communicandi; quòd si accedant in die magni concursus pœnitentes, facturi longas Confessiones, debet Confessarius eos licentiarè, ad tempusque magis commodum remittere, ne injuria irrogetur Sacramento, ut bene & 2. qui subinde cap. 3. ait, damnatam propositionem comprehendere etiam asserentes, posse dimidiari confessionem, ubi timor sit, quòd pœnitens non amplius redeat, vel quòd ab aliis notetur obstantibus, integritas est in Confessione servanda; quod notent Parochi, alique Confessarii, in majoribus excipientes.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Agitur de necessaria numerica specificatione culparum. Præmittitur artis Arithmeticæ, ac numerorum origo, usus, & utilitas; ac eorumdem à primo usque ad Decimum laudes, atque excellentiæ, tum Sacris, tum Profanis eruditionibus; quas inter habetur Regula cognoscendi Anni Bisextilis, & Aurei Numeri reperiendi. Traditur, quando opus sit exprimere numerum certum malorum actuum tam internorum, quam externorum, & quando sufficiat incertum cum particula Circiter, Plus, minusve? Meretricis, ac habituari peccatorum quomodo constentur? Concluditur peccata dubia semper esse contentanda?

SUMMARIUM.

- 1 Arithmetica undè dida?
- 2 Numeri Etymologia, & quis Artis numerandi Auctor.
- 3 Numerorum liber cur sic à Moysè vocatus?
- 4 Arithmetica necessitas, ac utilitas.
- 5 Numeri definitio. Et qui numeri Græcorum, & Hebræorum?
- 6 Anni Bisextilis cognoscendi Regula.
- 7 Numerorum genera quatuor.
- 8 Numeri primi excellentia, & aliorum usque ad Decimum.
- 9 Observarum in Officio Divino quatuor differentia.
- 10 Aureus numerus quid sit? Quomodo reperitur?
- 11 Numerus omnium peccatorum in Confessione explicandus.
- 12 Interni actus mali quomodo sint plura numero peccata?
- 13 Actiones peccaminose complete in se sunt plura numero peccata, etsi connexa, & ex eadem voluntate peccati.
- 14 Actiones male, etsi plures, quando sint unum tantum numero peccatum?
- 15 Confessarius in peccato, audiens plurium Confessiones, plura committit peccata.
- 16 Circiter, plusve minusve, quando suppleant verum numerum culpæ?
- 17 Arbitrium boni viri quomodo regulandum circa clausulam Circiter.
- 18 Dubia peccata an contentanda?

Prima itaque conditio integræ Confessionis Sacramentalis est, ut omnia peccata manifestentur per pœnitentem quòd ad eorum numerum. Ad ornatum hujus conditionis ne pigeat Lectorem observare sequentes eruditiones circa numerum, ar-

De Sacramento Pœnitentiæ.

temque numericam, quam Philosophi Arithmetici appellant; eò quia numerus à Græcis Arithmos vocatur, ut ait Tholofanus in Syntaxi artis mirab. lib. 15. cap. 1. Numerus secundum aliquos trahit etymologiam à nummis, cum enim pecunia numeretur, ab illis, autantur, numerum esse sortitum nomen, ut notat P. Hieronymus Vitalius Clericus Regularis in suo eruditissimo, ac recentissimo Lexico Mathematico. Verb. Numerus. num. 27. Sed hoc non placet Hortomano De Re Numaria cap. 6. quem citat Vossius in Etymol. Ling. Lat. Verb. Numeri; siquidem antequam reperitur pecunia numerata, & commercia rerum fierent per æs, & libram, ac pecunia daretur ad pondus, reperi erant numeri, & ars numerandi, cujus inventricem facit Minervam Titus Livius lib. 7. alii Palamedem, alii Deam Nummiam, ut refert Serra in tractatu de Synonymis V. Numerus. At hi omnes falluntur; nam Deus ipse artis numerandi fuit Auctor, qui creavit omnia in Mensura, & numero, & Pondere. Sap. 11. 21. ut homines differant iustitiam commutatam, quæ præcipue consistit in tribus, in mensurando, in numerando, & in ponderando; dedique facultatem numerandi solis hominibus, teste Aristotele Problem. sect. 30. q. 5. & hæc habuit originem à principio Mundi, ubi Deus cepit numerare dies ab uno usque ad septimum, dum Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod pararat. Gen. 2. 2. Hinc etiam Moyses quartum librum Pentateuchi, quem scripsit, vocavit librum Numerorum, & quia in illo incipit à numeratione populi; & prosequitur numerare primogenitos, ac Levitas, nec non mansiones Hebræorum in deserto, ut observat Cornelius à Lapide in Proem. ejusd. libri. Igitur Numerorum inventio est antiquissima, & eorum usus per vetustus.

Arts numerandi necessaria est ad omnes scientias, & artes, ac omnibus personis, etiam rusticis, ad eum qui nesciunt scribere numeros, numerum super digitis, ut scribit Chassanæus in Catalogo Glor. Mundi part. 10. consil. 49. idcirco poete numerant pedes, ac syllabas in carminibus; Musici notas; Mathematici observant numeros in Geometria, & in Algebra; Astronomi in suis calculis stellarum, ac Medici in morbis curandis, attendentes diem quartam, septimam, ac quartam decimam, quod loculenter narrat idem P. Vitalius in d. Lexico Mathematico. V. Algebra. & V. Numerus; nec non Castellus in Lexico Medico ead. Verb. Numerus. Et nos diximus in Decisionibus de Sacrific. Missæ Decif. 39. n. 29. ubi Dies Criticos, ac Decretorios declaravimus. Definitur autem Numerus, ut sit Quantitas collecta ex unitatibus. Serra de Synonym. d. V. Numerus. Sive quòd sit Collectio unitatum. d. Vitalius V. Numerus. seu Multitudo ex unitatibus numericis aggregata. Tholof. in Synt. d. lib. 15. c. 1. ubi advertit variam fuisse formam numerorum apud antiquos secundum varietatem temporum, ac regionum; alii enim pro numeris faciebant notas, seu cifras, ut Arabes, & Aegyptii; alii utebantur calculis, ac lapillis, ut Thracæ, ac Scitæ; alii litteris Alphabeti, nempe Græci, ac Hebræi, qui etiam nunc hoc observant, scribentes pro uno, Alpha, Aleph, pro duobus, Vita, Beth, pro tribus Gamma, Gimel; & sic de cæteris, ut videre est apud Grætherum in Grammat. Ling. Græc. & apud Emin. Card. Bellarminum in Instit. Lingue Hebræicæ part. 1. c. 1. nec non apud eundem Tholofanum d. part. 15. c. 2. ubi explicat utraque Alphabetata usque ad unum millionem. Hunc morem etiam Romani adhibebant, scribendi litteras pro numeris; quos postea receperunt, retentis paucis characteribus, qui adhuc sunt in usu, nempe V. pro quinque. X. pro decem. L. pro quinquaginta. C. pro centum. D. pro quingentis. M. pro mille, ut

F 4 ostendit.